

SELECTARUM JURIS QUÆSTIONUM
Ad faciliorem Paratitlorum Wefenbecii intel-
lectum directarum.

257.

40

DISPUTATIO XIII. Ex lib. 3. tit. 3. n. 4.

DE PERSONIS, QUÆ
PROCURATORES
DARI POSSINT,

1642, 41.

hæ Cwepzart &

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS OTTONIS TABORIS,
J. U. D. ET IN FLORENTISSIMA ARGEN-
TORATENSIVM UNIVERSITATE Cod. ac Feud. Placit.
P. P. celeberrimi, Patroni, Fautoris & Præceptoris
fui omni observantiâ æternùm
colendi:

Publicè proposita

CHRISTOPHORO Springmeier / Catto-Cassellano

In Auditorio majori

die ♀ 1. Mensis Aprilis.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL.

Anno M. DC. XLII.



DISPUTATIO XIII. Ex lib. 3 tit. 3. n. 4.

DE PERSONIS, QUÆ PROCURATORES DARI VEL ESSE POSSINT.

RESPONDENTE.

CHRISTOPHORO Springmeier / Catto-Castellano.

P R Æ F A T I O.



uod aliis doctorum hominum lucubrationibus accidit, ut pro captu lectoris sua fata libelli plerumque invenerint: Idem quoque doctissimo paratitorum Wesenbecianorum operi contigisse intelligimus. Nonnulli enim ac inprimis exteri, ut suas observationes tanto magis extollant, elegantissimam hanc epitomen elevare, ac quibus modis possunt, extenuare, in privatis saltem conversationibus, non erubescunt: Multi quoque eorum non sine eruditorum cachinno puerilia imitamenta his substituere elaborarunt. Tanta est invidia hominum, qui intra angustias sui soli, divinæ bonitatis ubertatem, satagunt constringere. Germanorum aliqui & inprimis ea juvenutis lecta, quæ studia sua præcipitare, & præcocia quantumcunque in forum propellere gestit, ex adverso in hoc systemate latifundium eruditionis suæ, ac totam suppellectilem collocat atque constituit. Planè contra ipsius autoris sententiam, ac scopum, qui paratitla ista pro serperastro haberi voluit, quo ad latiora juris volumina facilius esset prorepere atque eniti: ideoque ad commentarios, autor ipse toties provocat, quos alibi nullatenus omittendos, sed progressu temporis cum textus ipsius lectione salubriter jungendos esse, monet. Denique pessimo loco censendi sunt, qui pessimè sibi suisque studiis consulunt, atque ipsum quoque hoc universi juris, quod laudant, syntagma, perfunctoriè evolvisse, eoque facto se doctoralem tiaram promereri posse, persuasum habent: ignari quantum, vel uno sub commate periodoque, peritissimus autor concluderit aut occultaverit. Horum simplicitati ut occurreretur, unam & alteram materiam plenius discutiendam suscepimus, in cæteris annotationibus, si ita visum fuerit commilitonibus, breviores futuri. Quibus ita excusationis loco præmissis constituimus

A 2

Q. 1.



*Verf. darò
aut em.*

AN minor 25. annis, jure civili dari possit procurator ad lites, seu (ut noster loquitur) in judicio? Statum quæstionis meritò de jure civili concepimus; Nam de jure canonico certa est sententia, quod ad negotia extrajudicialia rectè deputetur quis post annum ætatis 17. Ad judicialia verò non admittatur, nisi major 25. annis. *qui generaliter s. verf. licet ult. de procur. in 6.* quod jus ex erronea Dd. sententia profluxisse ait, post Cujac. in loco mox allegando P. Badius ad l. 51. b. t. ¶ De jure ergò civili negativa quidem communi Dd. calculo, ut indicavimus, invaluit, & testatur de applausu fori Benedictus de Capra thesaur. commun. opin. lit. M. n. 9. & 10. Vantius de nullit. capit. ex inhabil. mandat. n. 133. P. Gregor. lib. 49. syntagm. cap. 4 n. 11. eaq; duabus in primis suffulta videtur rationibus, quibus etiam Wesenb. noster hinc & ad §. justas. l. qui & quib. ex caus. utitur. Quarum posterior priore loco collocari meretur. Nam (1) certum est. in procuratore fundari judicii substantiam, uti loquitur Dn. D. Frantzkius exercit. 2. inst. q. 1. adeoque id vel maximè requiri, ut persona ejus per se sit habilis atque idonea ad actus judiciales expediendos, arg. l. 4. de testam. l. 14. de codicill. At minor absolutè non habet personam standi in judicio, sive non idoneus est, nec habilis ad expedienda negotia judicialia, sed debet à iudice repelli l. exigendi. 12. C. de procurat. (2) vel si maximè ipso jure non repelleretur, tamen propter beneficium restitutionis non est idoneus: siquidem & adversus illud ipsum mandatum, in quo constitutus est, restitui potest, si curatorem non habeat: vel si habeat, & sine illo procurator constitutus sit, ipso jure nulla videbitur constitutio. v. Sichard. ad l. 12. C. de procurat. n. 10. Duaren. de procurat. cap. 4. Præterea multa in judicio interveniunt; ut interrogationes, responsiones, contumacia partis, cautiones. In quib. si lædatur minor, impetrare restitutionem potest, insigni cum elusione judiciorum Bacho. i. D. Tr. 8. §. 1. e. ¶ Verùm post antiquos Dd. Jacobum de Arena & Oldradum, quorum sententiam Cynus, & Salycetus in l. 12. C. h. referunt, Cujacius Donell. & alii allegati ab Harppr. ad §. 1. l. per quos ag. poss. Bocer. cl. 6. disp. 6. th. 23. Gothofr. ad l. 51. b. t. lit. a. & c. sententiam istam jure civili tam absurdam esse judicant, ut affirmativam in ipsis juris elementis, nominatim in §. justas. l. qui & quib. ex caus. man. liquidissimè definitam esse arbitrentur. Dn. D. Biesch. orat. sua inaug. 19. Nov. 1612. habita, Rittershusius in comment. l. ad d. §. 5. quòd scil. pubes, qui 17. ætatis annum excefferit, r. 16.

rectè procurator fit, etiam in iudicio. C. A. h. th. 18. n. 2. Hunn. 1. D. Treut. 9. thes. 5. qu. 26. ubi ad rationes Wesenbecii nostri & aliorum negantium respondet, Locamer. qq. instit. 21. ubi l. si collataneus 17. de manumiss. vind. & l. 1. §. initium. 3. vers. pueritiam. de postul. inducit: Videndus omninò Cujacius in lib. XI. Pauli ad Edictum in l. 23. de minor. pag. 166. ubi postquam horribile hoc carmen pronuntiasset: Doctoribus superioris seculi nunquam bene notum fuisse ius Civile, cum & ejus juris sermo planè ipsis fuerit incognitus: hinc autem tot errores in decretales Pontificum epistolas traxisse, ut & in mores, qui in regionum consuetudinibus observantur (similia de juris Canon. natalibus prodidere A. Contius libr. 1. disput. iur. civilis cap. 3. Duarenus C. ubi & apud quem cogn. in integr. rest. Et in prefat. lib. de Sac. Eccles. ministr. Alber. Gentilis & alij.) Respondet etiam ad l. 12. C. de procurat. quà cum Dd. Wesenbecius h loco maximè nititur, quòd legitima ætas ibi accipienda sit pro plena pubertate 18. ann. inchoat. quandoquidem Romani hanc ætatem idoneam esse judicant, ad prodeundum in forum & curiam ingrediendam. Quam explicatorem etiam inculcat 22. O. 16. & amplectuntur Hottomann. ad d. §. 5. Pac. 2. ex 27. 16. Ruland. p. 1. d. commiss. lib. 4. c. 13. n. 13. ¶ Verùm quia hæc explicatio duriuscula visa est Bachov. 1. D. Treutl. 8. th. 1. e. cum specialis illa ætatis determinatio ultra casus expressos non sit protrahenda: Et ad defensorem ineptè ab Hunnio restringatur: ideo aliam compositionis rationem inuit, quam postea constanter retinuit & inculcavit, in comm. 1. ad d. §. 5. & in comm. ff. h. t. c. 2. pag. 804. deniq; in not. ad Wesenb. h. ut & Hillig. 18. D. E. 3. lit. T. vers. ita sentio, distinguendo an queratur de minore admittendo, scilicet etiam reclamante & invito adversario: An de admissio, dum sc. tacet & connivet adversarius. Ut invito & contra excipiente adversario minor admittendus in iudicio non sit: cæterùm si consentiente vel tacente adversario jam semel fuerit admissus; quòd tum iudicium ideo non sit retro futurum ipso jure nullum, per l. 51. de procurat. Quamquam hoc ipsum velle & Don. videatur, cum 18. comm. 3. scribit, in l. 12. C. h. t. non negat quòd minor ipso jure inhabilis sit: sed negari eum invito adversario admitti posse, cum captus aut læsus magno cum præjudicio iustus possit restitui. Quare datio, inquit, non est ipso jure inutilis: sed de se queri debet, qui non elegit idoneiorem. Conf. Frantz. d. exerc. 2. q. 1. Umm. disput. 3. de processib. n. 16. Uno verbo, non arceatur jure ipso sed arceatur potest facto hominis, id est, adversarii oppositione, quotiescunq; captio seu læsio ejus ex actu à minore gerèdo potest resultare. Hillig. d. l.

n. 11. vers. § Et hanc distinctionem ipse quidem Wesen. etiam infra tradit, n. 11. qua tamē vers. qua tamen in parte distinguendum: sed in applicatione valde discrepat, cum minorem his accenset, qui jure repelluntur, per l. 1. & 2. C. qui leg. pers. l. clarum. 4. C. de autor. prest. Respondet Bachov. in not. ad illum n. 11. textus eos loqui de causis minoris propriis, à quibus non rectè inferatur ad alienas. Sed hanc consequentiam omninò urget Wes. h. n. 4. Si enim minores ad eò personam in judicio standi non habent, ut propriam litem ipsi non possint peragere, sed per curatorem litigare cogantur. §. 2. l. de curator. quomodo legitimè stabunt in judicio causæ alienæ. Clarius forsan dicemus, esse in argumento Wesenbecii fallaciam causæ: Quod enim minores in causis propriis à limine judicii sine curatore repelluntur, non est in causâ, intrinseca ipsorum inhabilitas: quomodo infantes, furiosi, pupilli & alii sunt inhabiles. Sic enim nec momentaneæ possessionis actionem possent introducere, nec causam alimentorum tractare l. 1. C. de alim. pup. prest. quod tamen eos facere posse cum Cujac. in parat. C. qui leg. pers. stand. in jud. docet Perez ibid. n. 16. & concedit ipse Wesenb. in comment. C. d. tit. num. 12. Sed ex unâ parte, utilitas ipsorum propria, ne per ætatem lædantur aut capiuntur, & ex alterâ parte judiciorum vigor, ne facilè per restitutiones judicia retractentur. Idque est quod Wesenb. ipse d. loc. n. 12. & 43. tradit: judicium cum minore institutum valere, quoad eorum commodum, nisi contra eos excipiatur. l. ult. C. d. r. l. non eo. 14. C. de procurat. stare ergò non potest minor in judicio propter periculum quod ipse subiret: quando autem pro alio causam agit, nullum ipsius est periculum. Ad reliquas objectiones responsum est in notis ad C. A. d. th. 18. n. 2.

vers. Fœmi
na quoq.

Q. 2. An fœminæ omni jure prohibeantur procuratores constitui? Ita in genere quidem autor noster loquitur: idque ut rectè factum laudat Bachov. in not. ibid. Consimili modo rem definit Pacius in method. C. h. r. cap. 5. num. 13. vers. 1. ubi cum distinxisset inter personas, quæ absolutè & simpliciter procuratores esse nequeant, & quæ in certis causis esse possint, vel non: primo loco ab hoc officio, tanquam virili, mulieres arceat ac remover. §. Magis cautè loquitur Berlich. 1. concl. 15. nempe Jcli mulieres pro aliis postulare & procuratoris officio fungi non posse. §. Quod porrò declarat Ummius disput. 3. de processib. th. 4. ut non lege & jure ipso prohibeantur: sed oppositâ demum exceptione. §. Amplius & velut è diametro contrarium statuit Rittershus. 5. differ. 12. vers. alia differentia est, mulierem Jure Canonico absolutè constitui

cui posse procuratricem, per *c. cum dilecta. 4.* ibi eandem abbatissam procuratricem ipsius duximus esse statuendam. *x. de confirm. util. vel inutil. & per auctoritatem Decii ad l. 2. de R. l. Consentit Autor indicis in Ius Canon. voce mulier. n. pen. & Verum. P. Badius ad l. 41. h. t. rescriptum d. cap. singulare esse ait, neque personam egredi n. 3. & Decius allegato loc. n. 14. & seqq. inter casus exceptos hunc quoque de Abbatissa recenser: Et in comment. ad d. c. 4. n. 15. vers. sexto. textum eum procedere ait, quando mulier procuratrix constituitur à Papa: si quidem à principe quælibet etiam mulier ad judicia habilitari possit. *Hactenus Decius.* Inde autem malè differentia generalis inter hæc jura elicitur atque educitur. *&* Itaque rectius dicemus in universum mulierem in negotiis extrajudicialibus utroque jure procuratricem esse posse. *l. 3. §. 1. inf. de neg. gest. l. sed etsi. 7. §. 1. de institor. add Abbas & Decius ad d. c. 4. cum munus hoc non sit civile aut publicum, sed planè privatum Giphart. ad d. l. 41. n. 2. Berlich. 2. concl. 17. n. 57. In negotiis autem judicialibus regulariter à procuratore utroque jure mulierem arceri: And. Vallensis ad tit. *Decretal. de procurat. §. 4. n. 4. Dan. Venator in Anal. jur. pontif. eod. tit. in quest. qui constituit. pag. 171. Excipiendos autem esse casus aliquot (iterum utroque, nec tantum civili jure, uti autor loqui videtur in. vers. nonnunquam) (1) si in rem suam constituta sit (quæ exceptio perperam à Bachov. in not. insubtilis & nulla dicitur: cum & jure expresso tradita sit, nempe *l. 4. C. h. t. & ratione dubitandi non careat) (2) Aut pro parente causâ cognitâ, per l. fœminas. 41. h. t. Quas duas exceptiones Vallensis tantum agnoscit. Fundata tamen æquè est (3) si pro libertate mariti agat, *l. 3. §. 2. de liberal. caus.* cujus exemplo (4) etiam admittitur, si agat pro liberando marito captivo & incarcerato: per rationem, quod carcer sit veluti species quædam servitutis. *arg. l. 2. de liber. hom. exhib. quod & in Camera observari testatur Gail. 1. O. 133. n. 8. Eodemque textu (5) admittitur procurare causam liberorum, maximè si tutelam eorum gerat. c. ex parte. de appellat. & c. ex tenore. Qui filii sint leg. l. ult. C. quand. mul. tut. off. itemque (6) fratrum & (7) cæterorum, qui de cognatione sunt. Venat. d. loc. Addenda est ex Jure Canon. (8) exceptio de abbatissa, quæ nomine cænobii tanquam mater cænobitarum & tutrix, maximè autem pro conservandis privilegiis & libertatibus cænobii. *d. c. 4. specialiter est admittit Hillig. 18. D. E. 11. lit. c. in fine. Treutl. 1. D. 9. th. 6. a. ubi tamen Bachov. hoc restringit ad casum, quo abbatissa ab ipso Pontifice & quidem in causa singulari******

vers. nonnunquam

gulari privilegiorum, procuratrix constituta sit. Addunt Dd. alias quoque exceptiones, veluti si versemur in iudicio voluntariae lictionis, aut in quo tantum procedendum sit de æquitate, vel ubi de salute animæ agatur: quæ apud Decium ad locis possunt videri.

vers. femi
na quoque
verb. tam
quoniam
intercessio
quædam.

Q. 3. An Wesenb. reprehensionem mereatur, quod dixerit, in procuratione judiciali quandam esse intercessionem? Ita videtur Bachov. in not. ad hunc locum: quia hæc non quasi sed vera intercessio sit, cum per litis contestationem fiat delegatio & ita aliena obligatio suscipiatur l. 11. § 1. de Novat. ¶ Nobis autem nota hæc supervacanea videtur. Nam (1) particula quædam non denotat semper improprietatem, sed vel imprimis speciem, arg. text. 2. Feud. 23. vers. hujus autem generis species quædam. Novell. 129. cap. 3. Quemadmodum autor alibi: hoc est, in comment. C. h. t. n. 13. hanc phrasin absolutè effert. ibi: in criminalibus non item: quia & hic est intercessio. Deinde (2) intercessio genericè accepta est genus æquivocum, & quod uni speciei magis quàm alteri communicatur; Est enim vox ista planè τεχνολογικὴ & hujus artis, id est, juris prudentiæ propria atque singularis: unde etiam sollicitè passim inquiritur & discutitur an hoc vel illud pro intercessione habendum sit: sive an hoc vel illo casu V. C. mulier intercessisse videatur, uti perspicere licet ex l. 2. §. 5. l. 3. l. 4. §. 1. l. 8. pr. l. 19. &c. ad SC. Vellej. ubi C. I. A. th. 4. intercedere id esse dicit, alienam obligationem in se recipere: sive ut Dn. D. Bitsch. in comment. C. ad SC. Vellej. habet: se aut res suas alii pro alio obligare: Quod tam apertè & cum tanto effectu mulier hoc casu non facit, atque in aliis speciebus.

vers. mili-
tes in alie-
na.

Q. 4. An milites ipso jure à munere procurationis arceantur? Ita videtur sentire Wesenb. h. in verb. etiam volente adversario vetantur. Quam sententiam evidentius exprimit Perezus in par. C. h. t. n. 8. ibi: Milites ne quidem pro conjunctis personis officium procuratoris suscipere possunt, ne hoc modo avocentur ab exercitiis militaribus: § ult. l. de exception. nisi in rem suam aut suæ cohortis nomine agant, vel milites esse desierint, ut veterani l. 7. C. h. t. quo textu incitatus Ayrenus in processu part. 3. cap. 5. observ. 5. n. 22. Militi interdicit omni procuratione etiam pro parentibus suscipienda. ¶ Cui traditioni obiicit Bachov. in not. h. quòd ex l. 13. C. h. t. addenda sit exceptio, nisi milites litem sint contestati, tum enim alienum negotium eos rectè exercere. Porro d. l. 13. non nisi putida ratione defendi posse ait; quòd litis contestatione miles dominus litis factus sit. Cum tamen nec

nec rescripto principis, nec pro personis maximè necessariis, nec consentiente etiam adversario admittatur. Amplius, hinc nasci occasionem inquit, quâ prohibitio juris eludatur: siquidem ita in potestate privati futurum sit, ut non obiiciendo exceptionem procuratoriam, militem aliàs prohibitam, admittat. § Quas dubitandi rationes & alibi expressit Bachov., volum. 1. D. Treutl. 9. th. 6. lit. b. ubi ait, ejus rei solidam rationem dari non posse, nisi desumptam à subtilitate juris civilis; quòd lite contestata dominus effectus, rem alienam jam tractare non videatur. *¶ in comm. ad d. §. ult. 1. de Except. n. 2.* ubi scribit: mirum videri, quomodo per dissimulationem aut ignorantiam partis adversæ fieri possit, quod nec sacro rescripto fieri posse *in l. 7. & 13. C. b. t.* affirmatur. Addi & hoc poterat, quòd ratio prohibitionis, quæ *in l. milites 31. C. locati* assignatur, adeò generalis sit, ut post litem quoque contestatam fortiter pugnet, militique resistat. § Sed si rectè attenderimus, dubia hæc facillè elidentur, textusque componentur, adhibita distinctione inter eas personas, quæ ipso jure simpliciter repelluntur ut inhabiles; & inter eas, quæ ita jure repelluntur, ut tamen oppositio & exceptio adversarii simul desideretur Ummius *disput. 3. de process. th. 4.* *Allis non est accensendus miles, sed istis.* Licet enim *d. l. 7.* dicatur, *militem non pro patre experiri oportere*: id tamen non absolutam & omnimodam conclusionem infert, sed potius definitionem regularem & extra casus exceptos procedentem; ut evidenter ostendit *textus l. 8. §. 2. h. t.* ubi regulæ huic illicò adjungitur exceptio quoque ista: nisi hoc tempore litis contestatæ quocunque casu prætermisum est: Vel brevius: *excludit eos non ἀπλῶς, sed πῶς & quodam modo, ne scilicet aut judex aut adversarius eos invitus admittere cogatur.* A. Faber *in rat. decid. ad d. l. 8. §. 2. vers. nisi hoc tempore. p. 344.* Quod si adversarius sive per imperitiam, sive per ignaviam hanc exceptionem omiserit, manet jam miles jure permittente procurator: nō quasi ex voluntate rei, sed propter autoritatem & formam judicii, quæ illa est, ut & qui litem contestatur, hoc ipso quasi contrahere videatur, *l. 3. §. idem scribit, de pecul. præsertim cum procuratore, quem adversarius & judex passi sunt fieri dominum litis per contestationem. l. 22. & seq. C. h. t. idem Fab. d. loc. p. 343.* Atque huic responsioni ipse acquiescere videtur Bachov. *in commen. ff. de procurat. cap. 2. num. 2. p. 802.* & seq. ubi in universum ita distinguit: An persona talis sit, quæ simpliciter sit inhabilis & prorsus in judicio stare non possit, & illi semper obstare atque obiici posse exceptionem, veluti si sit servus, *l. 44 §. 1. de judic.* aut pupillus. (idem fuerit si causæ qualitas non ferat procuratorem)

ratores.) An verò talis sit, ut ipsa quidem litigare possit, sed specialiter ratione prohibeatur postulare pro alio: Et hanc post litem contestatam reiiciamplius non posse, veluti militem. Fortè quia una ratio publicæ utilitatis, alteram ab autoritate & usu iudiciorum petitam, superat & supprimit: quâ persona aliàs quadantenus inhabilis legitimitur. Denique sæpe in iure tolerantur facta & constituta, quæ ab initio fieri ægrè permittuntur, *exemplo l. 5. in fin. de postul. l. 5. §. si opus. 13. de damn. inf. cap. 1. §. 1. de juram. calumn. in 6. Wes. in comm. C. ad l. 1. de usuf. in fine. Cujac. in l. 3. §. 6. de jure fisci per illum texe. adde inf. quæst. 9. in f.*

vers. item
& Decu-
riones.

Q. 5. An commoda aliqua ratio reddi possit sanctionis, *in l. 34. C. de decurion.* quâ decuriones à munere procurationis arcentur? Wesenbecius noster rationem prohibitionis collocare videtur, in dignitate decurionum, cui vile procurationis munus non conveniat. Eaque ratio haut obscure designatur in *alleg. l. 34. libr. 10. vers. ille verò. §. Verùm Bachov. in not. ad Wes. h. lo. pag. 138.* negat se rationem ejus l. exputare posse: cum enim decurionatus fuerit vilis dignitas, siquidem illi decurionatus sive curiæ ita addicti ac quasi affixi fuerint, ita ut nisi beneficio principis eo liberari haud potuerint: Ideò, inquam, negat se intelligere, quomodo respectu illius muneris procuratio (scilicet extrajudicialis,) dicatur vilitas infamissima & obsecundatio servilis: ad eò quidem, ut & ipse Decurio & qui eum procuratorem constituit, pœna gravissima adficiantur. Quamvis denique dubio huic ita ipse occurrat, ut arbitretur tempore illo (Impp. Gratiani, Valentini & Theodosii) aliquid fuisse speciale. ¶ Et sanè posset Bachovii dubitatio non tantum confirmari, ex *l. omnes 43. l. omnes omnino 50. l. quamvis 51. l. ult. C. d. t.* sed etiam intendi ex iis textibus C. Theod. *lib. 12. tit. de decurionibus*, quibus munus hoc dignitatibus opponitur, ut *l. 93. ibi: cuncti, qui ex decurionibus senatorum se splendore miscuerunt. l. omnes 82. l. qui labore. 86. ibi: qui labores variis officiis declinantes, per illicitæ ambitionis compendia proveci. Et.* Verùm quia non minus absurdum censetur *ἵσταν ἀπὸ τῆς ἀλαεῖν, quàm ἀλοῖα*, teste Cujacio in *rec. C. de collat. pag. 690.* adde *Donell. tr. de prescr. verb. n. 5. Connan. 3. comm. 6. num. 4.* honestius de Legislatione Justin. sentiendum erit. Quinquam enim alii in receptis *ἵστων* sententiis *l. 20. de pœn.* rationes magis quàm in constitutionibus, apparere non improbabiliter statuunt: quarum ratio sæpè reddi nequeat necessaria *l. 5. in fin. pr. de collat. l. 63. de A. ill. ed. 1. F. 20. in fin.* sed sufficiat probabilis, autote eodem Cujac. in *not. ad pr. l. de fiduc. tut. conf. pen. ibi: aut necessitas constituit.*

stituit.

stituit. d. LL. quanquam etiam de Jctorum responsis Cujacius ipse alibi scribat regularum juris, quas Jcti à majoribus per manus acceperant, ipsos rationes neque nimium diligenter conquissivisse, neque aliquando satis bonas reddere. v. Cujac. 17. O. 15. & 8. O. 12. item q. 12. O. 38. in rec. C. Arbitr. tut. & alios allegat. ab Anton. Matthæi in collegio fundament. disp. 10. per tot. & in testimonio præmissis colleg. instit. Nobis tamen majore religione & reverentiâ jura colenda sunt, & nihil temerè per tot secula custoditum fuisse, existimandum est, juxta monita prudentum, v. Platon. 1. de LL. Aristot. 2. sophist. Elench. cap. 3. & lib. 1. Rhetor. 15. Quintilian. declam. 264. ¶ Putamus itaque rationem præsentis constitutionis satis commodam assignatam esse & assignari amplius posse. Nam licet per se & absolute spectata curialium dignitas, vel etiam cum majoribus comparata, admodum magna non fuerit: in relatione tamen ad suam civitatem & municipium non fuit nulla. Electi n. fuerunt meritis & facultatibus dignissimi l. ad subeunda. 46. C. d. t. C. A. de decurion. th. 1. & cura totius civitatis ipsis commissa fuit, v. Pancirollū de magistr. munic. c. 4. nec viles facile recepti aut plebei. l. 7. §. 2. de decurion. l. 9. §. 1. l. 12. eod. Libertini, servi, infames. v. C. A. d. t. th. 5. n. 1. 2. 5. 11. ubi aliorum copia superesset. l. 6. 7. 11. de decur. (nam paucitas eorum, qui muneribus publicis fungi debeant, aliquando etiam inferiores admisit l. 12. in fin. d. t.) Licet autem boni publici causâ ægrè dimissi fuerint à muneribus, & functiones eorum oneribus non caruerint, conf. C. A. d. t. th. 8. Tamen honoribus quoque, dignitatibus & privilegiis vicissim ornati fuere variis, C. A. d. lo. th. 9. Hinc munus eorum absolute vocatur honor. l. 7. pr. & §. 2. l. 12. de decur. l. 8. C. eod. l. ordine. 15. ad municip. l. 2. C. de advoc. 1. dignitas l. 6. l. 12. in fin. de decur. l. 13. §. 1. ad L. Cornel. de fals. l. 2. de Albo scrib. d. l. ordine. 15. l. 17. §. 4. & 12. eod. & passim. Et sollicitè cautum, ne sordibus quibusdam inquinaretur & dehonestaretur ordo. l. 2. §. 2. l. 5. & l. 12. ibi: inhonestum tamen puto esse. de decurion. l. 8. C. eod. Jam certum est ad procurationem negotiorum, maximè extrajudicialium, etiam viles & infames personas adhiberi posse & solere. Ergò rectè concluditur hominibus in aliqua dignitate & honore, saltem municipali, constitutis non convenisse ejusmodi procurationem. ¶ Accedit & alia consideratio, quòd licet procuratio, per se, nō sit munus turpe aut probrosum; tamen si vir in dignitate constitutus ob utilitatem & lucrum non erubescat alienarum facultatum procurationem suscipere: wann sich der Rathsherr nicht schämen wolte, eines geminen Burgers Schaffner zu werden, merito culpandus esset, ut qui infamè suscepisset utilitatem.

¶ Forſan etiam talis procuratio facultatum in hoc textu intelligenda venit, quæ conjuncta eſt cum aliqua ſpecie ſubmiſſionis, ſi nõ ſubjectionis: arg. verb. *immemores libertatis*, & verb. *infamiſſima vilitatis* (ita enim legitur in C. The. itemq; in edit. Pacii & nonnullis exemplaribus Gothofredi) & arg. verb. *ſervili obſecundatione*; veteres enim ad diſpenſatorum & actorum munus ſervos plerumq; adhibebant §. 7. l. *de injur. l. 16. de publican. l. ult. de offic. præſ. Cuj. 10. ad l. 2. C. ne fiſc. rem quam vend. ret. lib. 10. 2. 5.* Quorſum etiam pœnæ gravitas collimat: (ut dubitare liceat, an hinc rectè colligatur in genere, procuratoris officium viliſſimum eſſe, poſt gl. Br. & al. Warmſ. 1. O. tit. 5. obſ. 12.) Cujusmodi pœna non conſtituitur in eum curialem, qui ſimpliciter factus eſt procurator, l. *curialis. 30. C. de locat. nec in eum, qui tabellionis officium ſuſcepit. l. 15. C. de decur.* quanquam ab utroque munere curiales arceantur per d. text. Cujac. ad d. l. 34. C. de decur. ¶ Cujus prohibitionis rationes aliæ plures aſſignari poſſunt: nempe quòd & hinc potentia aliquis metus ſubſit: ut innuit C. A. de procur. l. 19. & interſit Reip. alienis occupationibus decuriones non detineri, ut tantò magis municipalibus cauſis vacent l. 60. C. de decur. Cujusmodi cauſæ etiam aſſignari ſolent de militibus armatis, l. ult. C. de Locat. quæ cum l. 34. C. de decur. collata ſuperiorem explicationem noſtram egregiè confirmabit & illuſtrabit: quorſum etiam facit l. 2. C. de Episc. & Cler. ubi Mornacius in obſervat. oſtendit, quàm ignominioſum ſit Clericis, ut ſe Laicorum actores diſpenſatoresq; exhibeant. ¶ Prohibitione ita confirmata, unicum hoc annotare liceat: quòd Specul. lib. 1. part. 3. ſub tit. de procur. §. 35. hanc prohibitionem reſtringit ad procurationem negotiorum: quaſi procuratio litiùm curialium permiſſa ſit. Quòd tamen negare videtur C. A. de decur. l. 8. n. 1. dum eos ab advocacionis etiam munere, quòd multò honeſtius eſt, excludit. Ediverſo Cujac. multis in locis ſtatuit, decuriones potuiſſe munere advocacionis fungi, per l. 13. §. 1. ad L. Corn. de falſ. ita enim ſcribit lib. 1. q. 99. Papin. ad l. 8. de poſtul. p. 22. poterat quis eſſe advocatus & decurio l. 56. & 57. C. de decur. lib. 10. & propterea quibusdam decretis hodie advocati à conſilio municipiorum excluduntur, De Doctores an erlichen orten deſ. Rathſtules nicht fähig. Similia ſcribit in recit. ad l. 35. C. de decur. Eamque in rem textus ſatis evidens eſt in l. 2. C. de advoc. 1. facit l. 1. C. de his qui in exil. dati lib. 10. 1. 59. Et deprehendi in exemplari quodam correcto ad d. lo. C. A. adjectam eſſe vocem qui: (nec qui advocacionis munere funguntur.) Quæ lectione Cujacii ſententia non impugnatur: Quæ etiam veriſimilior videtur: dum modo id in diverſis auditoriis, vel ſaltem cauſis conſeſſum fuiſſe intelligamus.

Alia:

Aliàs enim Assessorem simul & advocatum esse, sanè pessimi exempli res foret. *l. quiquis. 7. C. de postul. l. 5. de offi. assess. l. ult. C. eod. Bernh. Zieriz. ad constit. crim. c. 88. verb. advocat.* ¶ Quæ omnia ad nostra quoq; tempora adplicare licet, ut ostendit *Wesenb. 1. consil. 40. n. 22. Modestin. Pistor. 1. consil. 26. Cothman. 2. respons. 61. n. 53. & seqq.*

Q. 6. An Medici procuratores possint constitui? *Wesenbecius* quidem generaliter & absolutè id negat, solà Speculatoris autoritate fretus, & ratione modò discussà subnixus, quòd & Medici personæ digniores sint, quàm ut viliori procuratorum officio fungi eos deceat. ¶ Verùm quod (1) ad autoritatem Speculatoris attinet: hoc tantùm asserit ille *p. 203. n. 35.* posse alicui procuratori obijci, quòd sit Medicus seu parabolanus: adducens *l. placet 17. §. prateren 1. C. de Episc. & Cler. quæ cùm ad Clericos pertineat, qui Medicinam exercent κατὰ φιλανθρωπίαν, i. e. pietatis causa, vid. c. his igitur 3. dist. 23. perperam id ad laicos medicinam facientes extendi videtur; vel si maximè parabolani sine ista restrictione d. 10. intelligantur, quicumque se pestilitati aut aliis morbis fonticis grassantibus ceu victimas ad obeunda pericula obijciunt, Wagchälse/ uti hoc verbum *Turneb lib. 13. c. 23.* reddidit: Illud tamen nihilominus relinquatur, rationè prohibitionis in hisce specialem nec ad reliquos medicos extendendam esse: erant enim parabolani, docente *Alciato 4. disjunct. 9.* homines, qui se famulatio vel ecclesiarum vel hospitalium addixerant; unde quasi adscriptitii glebæ à servitio ægrotum, qui in nosocomiis & valetudinariis residebant, recedere non audebant. ¶ Porro & ratio & subsumtio autoris contradictores non paucos habet. Nam quod rationem ipsam attinet, errorem hunc vulgi esse scribit *A. Faber lib. 9. C. sui tit. 29. def. 5.* quòd procuratoris ad lites officium vile & sordidum esse doceant, *ex l. 34. C. de Decur. cùm ea non ad procuratores litium sed procuratores negotiorum pertineat. Quà responsione etiam utitur Harppr. ad §. 1. l. per quos ag. post. n. 160.* ubi nominatim contra autorem nostrum hoc loc. asserit, procuratoris, maximè ad lites, officium nequaquam ità sordidum esse, ut dignitati aut nobilitati alicujns deroget. ¶ Tandè ipsam quoque subsumptionem nonnulli repudiant & inficiantur: inprimis *A. Faber d. tit. 29. def. 9.* præfidenter distitit, Medicos Doctores, sive publici professores sint, sive curandis morbis vacent, nec nobiles esse nec dignitate ulla præditos. Quæ sequitur *Johas Nolden in tr. de statu nobilit. th. 42.* ¶ Quorum sententiam licèt probare noluerimus: alibi, *v. tr. de jure armorum cap. 6. th. 13.* neque dum velimus probare, prætradita *Iraquelli c. 31. de nobilit. n. 73. 381. & 522. usq; ad finem.* Alià tamen*

vers. item
& digniores.

ratione contra autorem hinc calculum ponere cogimur, quod sc. medicus maximè extra numerum positus. v. l. 6. §. 2. de Excusat. tut. l. 1. de Decret. ab ordin. fac. l. si quis. 10. C. de profess. & Medic. lib. 10. tit. 5. 2. non tantum ad negotia, sed etiam ad lites procurator dari possit: per rationem generalem, quod hoc edictum prohibitorium sit l. 43. §. 1. h. t. Medicus autem nullibi functionem hanc suscipere jure prohibeatur. Falsum autem esse principium, quod ex l. 34. C. de Decur. elicitur, superiore quaest. vers. nã licet (clarius forsan, quàm ipse Faber,) indicavimus. consentit haut obscure Bacho in comm. ff. de procur. cap. 2. p. 804. vers. speciali ratione. d. l. 34. ad vilem praediorum v. c. procuracionem referens. Et sanè cum medicos complures negotia amicorum etiam in judicio tractasse noverimus, nusquam eos ideo rejectos fuisse comperimus. ¶ De professoribus eadem ferè constituemus. Quanquam non negemus rectius quemcunque facturum, si suæ arti sollicitè invigilaverit. arg. l. 6. in fine ibi: quo facilius. C. de profess. & Medic. conf. Wesenb. inf. de vacat. m. 1. n. 4.

Q. 7. An ratio hæc bona & adæquata sit: Mutus ad litem persequendam procurator dari non potest, quia nec postulare potest? A. Faber in rational. ad l. 43. pr. in verb. forsan & ipsi dantur h. t. cum Triboniani imperitiæ attribuisse, quod mutus procuracionem negotiorum permisisset; Ipse verò eundem ab omni planè procuracione exclusisset: duas exclusionis rationes affert (1) quia nec tutor nec curator dari possit. (2) quia ridiculus & curatore dignus esset, qui mutum sciens procuratorem eligeret. Sed Bachovius in comment. ad h. t. in speculig. pag. 864 med. Tribonianum defendens. Resp. (1) Nimis latam esse differentiam inter tutorem ac curatorem, & procuratorem, præsertim ad unum fortè negotium datum, vel ad procuracionem praediorum vel aliàs viliozem. Ad (2) resp. ex l. 7. §. ult. de instit. act. ubi cum Ulp. proposuisset, pupillum etiam institutorem tabernæ præfici posse: hanc rationem subiicit: quia imputare sibi debeat, qui eum præposuit. Et possint fortè negotia esse, quæ mutus etiam, cum dominus plurimum confidat, expedire queat, cum mutus quod verbis non potest, signis valeat declarare, uti loquitur Pontifex in cap. cum apud 27. de sponsal. ¶ Unde Cujac. in lib. 9. Pauli ad Edict. ad d. l. 43. pr. p. 1. n. B. statuit, mutum ad administrandum optimâ ratione admitti: quia scilicet res administrari ab eo possint, qui non loquatur, nec audiat. Ad hanc autem procuracionem laudem optimâ ratione arceri: si quidem illis ab eo agi & judicium exerceri nequeat: ubi interrogationes, respon-

DE PROCURATORIBUS.

responsiones, disceptationes frequenter necessariae sint. Qua de causa mutus nec tutor dari possit. l. 1. §. ult. de tut. l. 1. §. ult. de legit. tut. quia scilicet tutor non tantum bonis administrandis, sed etiam litibus pupillaribus detur. §. Quae ratio utique preferenda videtur rationi auctoris, qui à majori infert ad id quod minus est: (quales ratiocinationes & alibi in autore taxavimus. v. not. ad tit. de testam. n. ult. circa fin. vers. habere autem existimo.) vel saltem à separatis. v. auctor. ipsum n. 10. Rittershus. ad §. ult. in f. l. de Except. Nisi rationem hanc ita inducamus; ut quemadmodum mutus ideo à postulando arcetur, quod in iudiciis requiratur & major dignitas & auctoritas l. 1. §. secundo loco de postulando: ita ex eadem causa à procuratore judiciali quoque excludatur. v. Giphani. ad d. l. 43. pr. h. t. facit text. can. infames. 2. ibi: Infames non possunt esse procuratores, vel patroni causarum. caus. 2. q. 7. Nec absimilis est argumentandi ratio Imperatoris in §. ult. vers. cum enim antiquitas. 1. qui & ex quibus caus. Quanquam ideo Hottom. & Bachov. ipsam quoque Imp. iugillent; in com. ibidem.

Q. 8. An infames olim procuratores dare potuerint? ^{vers. verius videtur.}
 Cum Wesenb. de infamibus in universum aliquid dicturus, rem aliter repetat & olim infames nec dare nec dari procuratores potuisse proponat: unguem immittit Bachovius in notis & falsum id esse clamat, quod infames dare procuratores non potuerint: (1) quia infamium magna fuerit multitudo. (2) iique nihilominus cives manserint ac (3) iura omnium commerciorum habuerint. §. Et Wesenb. quidem auctoritatem adducit Pauli i. sentent. 2. Verum quia apud Paulum ea sententia exsertè non habetur, puto eum Anian (qui fuit Alarici Gothorum regis in iure condendo minister) sive quis alius est Pauli interpretes, glossam allegare voluisse: Ità verò ille ad d. loc. Pauli: Infames sunt, qui propter aliquam culpam notantur infamia: Et ideo tales personae ad agendas causas, nec mandatum dare nec suscipere ab altero possunt, etiam si in hoc eorum adversarii acquiescant. Hæc Anianus. Cujus annotationem ut veram laudat Cujac. in not. ad eundem locum Pauli. Ac ne quis Aniani auctoritatem defugiat, adducit Cujac. in not. poster. ad §. ult. l. de Except. n. 17. locum Quintiliani, lib. 4. instit. c. 4. ibi: Male petis: procuratori enim tibi esse non licet: sed neq. illi, cuius nomine litigas habere procuratorem. Verum hic negabit Bach. de infami rem esse. Superest ergo ut sententiam auctoris defendamus ex ipso textu §. f. l. de except. & nominatim ex verbis, propter infamiam vel dant: quæ verba in hoc posissima reducit & resolvit Hottom. in com. ad d. §. ult. Olim igitur infamis procuratorem dare non poterat: per se tamen agere poterat. Confirmat hanc paraphrasin expressit ipse Wes. ibid. §. Unde ad argumenta Bachoviana

proclive est rezerere: nimirum hoc tantum his effici, quod infamis per se causam agere poterit: Id v. Cujacius & Hottomannus ultro largiuntur. Ac ne quis pro Bachovio obiiciat regulam in l. 17. §. 20. de injur. traditam: dicemus olim hoc speciale in infami fuisse. Rationem diversitatis indicat idem Cujac. a l. d. lo. instit. n. 16. quod se. honor sit per procuratorem posse litigare, l. ult. C. de injur. quo infamis nullo modo dignus sit. l. 3. C. de ro milit. l. 2. C. de dignit. Eodemque modo rein declarat Wesenb. in comm. C. qui leg. pers. stand. n. 27. Cum ait: infames ad accusationes. & populares actiones quidem non admitti, adhibe Vmm. disp. 1. de processib. n. 27. l. 15. C. de his qui accus. civiliter tamen agere posse, quia à communione fidelium & civium non sint exc. usi.

vers. iure
sanè pon-
bifcio.

Q. 9. An circa admissionem infamium, ad procurationem litium, diversum J Ch & canonico sit constitutum? Agnoscit cum autore hac in re differentiam Rittershus. §. differ. 12. quam adeo primo quoq; loco proponit. Eandem etiam inculcat Rosbach. lib. 9. disp. 2. §. n. 8. Subdistinctionem etiam de iure Canonico hęc proponitam recipiunt ex Neotericis Venator. in Analys. jur. pontif. l. br. tit. 38. pag. 171. vers. secundo. And. Vallenfis cod. tit. §. 4. n. 5. & ceteri ejus generis transcriptores. ¶ Sunt tamen, qui sententiam utriusque juris compotituri, §. ult. vers. eas v. l. de except. ita accipiunt, ut intelligant casum, quo de infamia non liquet, sed operosa ad eius ostensionem demonstratio requiritur: Adeoque si notoria sit infamia, aut quę in continenti probari possit, nec I. Civili admitti procuratorem volunt. ita Bachov. in comm. ad d. §. ult. it. m. q. in vol. 1. D. Tr. 9. th. 8. lit. f. & in comm. ff. de procur. cap. 2. p. 804. med. Vinmius disp. 3. de processib. n. 19. & alij docent. ¶ Verum huic interpretationi retragatur (1) generalis exclusio exceptionis d. §. ult. nullo modo frequentari. (2) ratio ab utilitate petita: ne judiciorum tela differatur & proteletur. Cum è diverso in iure Canonico generaliter & omni modo admittatur hęc exceptio. can. 1. & 2. caus. 3. q. 7. & quidem ob causam publicę honestatis. Rittershus. in comm. ad d. §. ult. ut merito hic reponatur regula. l. quos prohibet 7. de postul. & differentia ista (simpliciter & sine distinctione, an principalis laicus sit an clericus: cui nec Tiraquellus alleg. ab autore loco admodum insistit:) rectius admittatur juxta Ho. ien. in d. tit. n. 8. Maximè cum I. Canonici dispositio in Camera juxta or. lin. pars. 1. tit. 18. & in noviss. dir. tit. 30. §. vnd sollen/ibi: rechter mañ. licher chrlicher gebare vnd weseas necnon in Saxonis & aliis bene constitutis judiciis passim confirmata sit. v. Georg. Schultz. pars. 1. process. jud. cap. xj. p. 241. ¶ Planè si infamis, quo i. Vmmius dissentiens d. lo. maximè urget, per ignorantiam partis adversę aut iudicis admittus fuerit, nec ipse putarim iudicium ideo retro nullum effici. Siquidem multa humanitatis causa sustinentur ex post facto, quę ab initio non admitterentur, arg. l. Barbaries 3. de off. prater. l. 1. C. de testam. l. 2. C. de sent. & interl. adde sup. quęst. 4. fin.

vers. nam
procurato-
ris officii.

Q. 10. An procuratoris officium rectè dicatur onus? ita quidem cum allegatis autoribus appellat Wesenb. in verb. Nam procuratoris. Vallenfis in loco sup. quęst. a. ducto. sed id non rectè fieri annotat Bachovius: Cum officium procuratoris sit mere voluntarium. q. d. quod quis sponte suscipit, id grave & onerosum ipsi accidere non posse. ¶ Sed quis non deprehendat committere censorem fallaciam ignorat. elenchi: siquidem manifestum est, onus h. lo. non opponi functionibus, quas subire cogimur, sed honori & dignitati: sive ut clarius dicamus: quemadmodum munus aliquod publicum cum dignitate conjunctum est, aliud sine dignitatis titulo imponitur. l. honor. 16. pr. juncto §. 1. de muner. & honor. l. munus 18. de V. S. l. munus 214. eod. ita functionum, quas privatorum loco suscipimus, alia conjuncta est cum aliqua dignitate, ut munus advocati: alia omni dignitate caret, & in solo ministerio atque labore vertitur, ut officium procuratoris. Quę sententia & oppositio clarissimè expressa est à Panormitano hęc allegato in fin. d. n. 9. nam illud officium est onus & non honor. Tiraquello cap. 30. de Nobilit. n. 6. & aliis supra nominatis.

F I N I S.

ULB Halle
005 714 745


3



VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

SELECTARUM JURIS QUÆSTIONUM
Ad faciliorem Paratitlorum Wesenbecii intel-
lectum directarum.

257.
40

DISPUTATIO XIII. Ex lib. 3. tit. 3. n. 4.

DE PERSONIS, QUÆ
PROCURATORES
DARI POSSINT, 1642, 41.

de Curatoribus

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS OTTONIS TABORIS,
J. U. D. ET IN FLORENTISSIMA ARGEN-
TORATENSIVM UNIVERSITATE Cod. ac Feud. Placit.

P. P. celeberrimi, Patroni, Fautoris & Præceptoris
fui omni observantiâ æternùm
colendi:

Publicè proposita

CHRISTOPHORO Springmeier / Catto-Cassellano

In Auditorio majori

die ♀ 1. Mensis Aprilis.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL.

Anno M. DC. XLII.

